



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventvræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

In quibus consistit sobrietas. Cap. XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](#)

enius etiam creare & vivificare est : ideo nisi eius iusu vel permisu nihil licet nobis destruere eorum quæ ipse fecit. Irrationales creaturas permittit nos occidere , sed non irrationabiliter. Rationales vero prohibet occidi, id est, homines, nisi secundum leges ab ipso promulgatas. Vnde indices secundum leges diuinias iudicantes , non sua , sed Dei auctoritate malefactores occidunt: quia ipse præcepit, Qui hoc vel hoc fecerit, tali poena puniatur. Sicut autem non licet cuiquam alterum occidere; sic nec semetipsum : cum nemo plus alterum teneatur diligere, quam semetipsum. Semetipsum autem occidit, qui indiscretè se per abstinentiam & per alios labores debilitans, ante cogitur deficere quam requirit ordo naturæ: licet aliquos deuotionis fervor vel pura simplicitas excusat. Ad Rom. Rationabile Rom. 12, 1 sit obsequium vestrum.

*In quibus consistit sobrietas.*

CAP. XLVI I.

S O B R I E T A S in tribus consistit: in qualitate, in quantitate, & modo. In qualitate, ut non delicata & pretiosa aut sumptuosa requirat, sed simplicia, quibus valeat sustentari natura, & gula non irritari , & quæ de facili possunt haberi. In quantitate, ut non nimis & saepius quam decet, sed temperate : ut sit reflectio corpori, non onus. Infirmi sunt liberi ab utraque lege. In modo, ut non importunè requiratur, nec impetuose & indisciplinatè & inordinate sumatur : sed modestè, mature & religiosè : sicut in priori formula novitiorum tractarum fuit. Sic enim sapit suavius, sumitur iucundius, reficit salubrius, minus grauat. Stomachū, & facilius digeritur, & minus peccatur, & est honestius & religiosius. Valet au-

Sobriet  
eis grandis  
utilitas.

tem sobrietas ad illa quæ suprà dicta sunt. Valet etiam ad satisfactionem pro peccatis: ut si-  
cuit corporis voluptate peccamus, ita & eius  
castigatione emendemur. Item ad carnis la-  
sciviam reprimendam: ut quæ impinguata in-  
solens & inobediens facta est, macerata discat  
narr. 9, 27 spiritui obedire. Ad Corinth. Castigo corpus  
meum, & in seruitutem redigo. Item ad cor-  
poris sanitatem: quia noxiros humores desic-  
cat, quos crapula & quies superflua generatio  
consuevit. Item ad sollicitudines mundanas  
abscindendas: quia qui modicis contentus est,  
modica habet prouidere. Item ad multatum  
virtutum habilitationem. Sobrius enim agi-  
lor est ad bonum, castior est, minus habet in-  
videndi materiam, magis cautus in lingua,  
promptior ad deuotionem, & purior in affe-  
ctu ad sapientiam acquirendam, sensum ma-  
gis vigilem facit & subtile, & memoriam ho-  
minis tenacem. Item ad aliorum ædificatio-  
nem: quia qui exteriora nostra ordinata videt  
& temperata, coniiciunt quid de interioribus  
æstiment quæ non vident. Minus etiam su-  
mus eis graues ad recipiendum nos in mensa,  
videntes quod modicis contenti sumus, &  
quod facile possunt nobis satisfacere: minus  
etiam aliis mendicis nocui sumus: quia quo  
plura ab hominibus petimus, eo minus aliis  
mendicis dandum relinquimus. Et hoc verè  
est quoddam genus rapinæ, quod à paucis ad-  
uertitur, cum aliquis ultra necessitatem veram  
mendicat, unde alter magis indigens patitur  
detrimentum: quia postea superueniens non  
inuenit, quod iste præueniens præripuit. Item  
valet ad meritum gloriae, tam pro seipso quam  
pro virtutibus sibi cōnexis: quia quo magis hic  
nobis de voluptate subtrahimus, eo magis  
& hic spiritualibus, & illic cælestibus deliciis  
abundabimus.

D